H[illegible] Colonia.

[illegible]dicti: Igneus Divi Eliae gladius – sive Oratio de eligendo Praelato Provinciae in Comitiis Provincialibus FF. Ord. Beatiss. Virg. Mar. de monte Carmelo habita. 1690. 17 Junii.

IGNEUS DIVI ELIÆ GLADIVS.

Cuncta Sacræ Religioni nociua amputans exurensq;

Siue

ORATIO

De Eligendo Prælato Prouinciæ in

COMITIIS PROVINCIALIBVS.

FF. Ord: Beatissimæ Virginis MARIÆ de Mon: Carmelo.

HABITA,

A

Fr. BENEDICTO KLAVS, Philosop: Studioso, in Conuentu Lidensi, PP. eiusdem Ord:

Anno Verbi Incarnati, 1690. die 17. Mense Iunio.

CRAC: Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S. R. M. Ord: Typ:



IMAGO MIRACVLOSA B. MARIÆ VIRGINIS
IN ECCLESIA CARMELITARVM CRACOVIÆ IN arenis
A. D. 1688.

SACRATISSIMÆ TRIADIS

TEMPLO, OMNIPOTENTIS DEI Dignissimæ Genitrici, Virginalis puritatis sũ-mæ integritati, Angelorum ac Hominum augustissimæ Dominatrici, Carmelitarũq; pijssimæ Matri Sorori ac Reginæ

M A R I Æ,

Nec non
Eius Speciali ac deuoto Clienti
PERILLVSTRI ac REVERENDISSIMO DOMINO,
D. IOANNI STANISLAO
D O S D.
Canonico Varsauiensi Naruensi ac Babensi Præposito. &c. &c.

ETsi elogiũ TIBI Mater pulchræ dilectionis, Creaturas omnes su-pergressæ moliri audacia sit; gra-titudinis tamen est augurium no-strum felici euentu coronatum adscribere ita ut deliberationi non sit locus. Nefas est ambige-re cordine sit TIBI Religio Eliæ? quam natã vsq; ad delicias adamasti protexisti adolescentẽ foues adultam. Arenæ tuæ in hoc Craci cam-po Lidijs nobis pretiosiores sunt, quæ mera no-

bis ex

bis ex TE mari Gratiarũ Profundunt gaudia, & vbi ſterilis natura eſſe ſolet ibi ſic fæcundat gratia ut nihil viribus naturæ debeatur omnia gratuito largiendo. Etiamnũ hac quâ (consenſu SS. Patrum) in temporales Diuini Spiritus proceſſiones authoritate polles, Præſidẽ nobis prouidiſti, qui ſcitè frenis & calcaribus uteretur TIBI itaq; Optimæ ſpei Mater omen hoc auſpicatũ, rudi licet ſtylo, animo nihilominus in Tuis obſequijs exculto dedicamus. Æquum quoq; eſt haberi TIBI gratiam PERILLVSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE, quos humilitate TVA prouocaſti in audaciã vt Nomini Virginis, ſua offerrent præſagia. Ambiebat ſtudioſiſſimè, obligatiſſima multis titulis Nomini TVO pagina manus eruditas, hinc laboris ſui reportatura ſolamen quod â TE inter Doctos Nobiliſſimo acceptaretur, aſt recuſauit modeſtia, Virtus ratum habuit conſecratã Illi à quâ Nomen Humanum inclaruit. Sed neq; ſic TVO Nomini non litatum cum Mariæ Honori.

Cuius & ego loco manco

Deuinctiſsimum mancipium

Fr. BENEDICTVS KLAVS Carmelita.

ORA-

O R A T I O.

FAllor an verus hoſtilis tubæ aures mihi verberat clangor, prorſus ignoro Adm. RR. PP. Ferale Tritonis claſſicum, ſoluſne perſtrepere audio, an etiam VESTRA idem ſonitus percellit pectora? Hoſtiles ne inſtant phalanges, an ſolum fabuloſa in obtutum meum veniunt Cadmi agmina? Falli me ſane vaniſq; hoſtilium cateruarum imaginibus ludi ac illudi cenſeo, quando in hoc amabili Venerandoq; Conſeſſu VESTRO nihil hoſtile conſpicio. Exulat à præſenti acie ſagum, ſolaq; Toga Venerandas contegens Curules, non lethali myrtho, feraliq; cupreſſo, ſed paciferæ oliuæ totum hoc adumbrauit adornauitq; amphitheatrum. Singulos noſtrûm, quotquot in hanc aciem deſcendimus, ſi vel Ithaca Vlijſsis induſtria, verſutiaq; exploraret, ſingulos armorum expertes, rixarum vacuos, ſtratagemmatum immunes, ſingulos Religioſos, ſingulos belli oſores, amabiliſq; pacis ac tranquillitatis amatores perluſtraret. Clamamus in momenta; ſupplicibuſq; cælos, Arbitrumq; Cæli celebramus Votis; *Nulla ſalus bello pacem te poſcimus omnes.* Vanam proinde concepiſſe videor chymeram, quando martiale quoddam Claſsicum ad pectora noſtra allidi me ſubaudiſsé exiſtimaui. Cauete tamen Adm. RR. PP. cauete ſæpè Viridi latet anguis in herba, & altæ immerſos paci, incautum ſilentium perdidit Amyclæos. Nihil eſt in ſublunari Orbe undiq; felix, aut undiq; tutum, quoue *minimè reris gurgite piſcis erit* Nondum lyncæas adhibeo pupillas, nondum Centoculum æmulor Ar-

gum, & iam hic etiam centuriatas nostrorum hostium cerno instare Cateruas. Hostes nostri sunt, quicunq; Sanctæ fidei, quicunq; sacro Diui Patriarchæ nostri instituto refragantur. Millenas talium cohortes, densisq; agminibus refertas copias quis non videt? Ad debellandam eam hostilitatem publica hodie Comitia indixistis, iamq; rebus prius quam Verbis declarastis, non ingratum VOBIS fore, si spirituales de tanto hoste Manubias ferre, incruentaq; tropHæa possitis obtinere. Ergo ego fretus venerandâ præsentiâ & Authoritate VESTRA primus hostem perlustrare tentabo, simulq; demonstrare conabor, tali nobis contra eos hostes Antesignano opus esse, qui ignitum Diui Patris & Patriarchæ nostri gladium ritè moderari âc opportunè contra hostes promere possit,

Non calonum sed heroumspartam ingressus, Tuam ô dexterrime Princeps & Patrone noster D. Elia imploro gratiam, integritas & honor, quem hodie contra nefandos Ecclesiæ DEI hostes asseuerare intendimus, Tuus est, quia DEI est: pro DEI honore nos certaturos, armis & generositate animi stipare non grauare. Igneus Tibi gladius est, hunc nostris interim hærere manibus, Herculesq; ac Iobaos simul repræsentare patiare, vt renascentia hostilis Hydræ capita, tuo ferro amputare, tuoq; igne rite exurere possimus. Pacatis luctuosam hanc catastrophen oculis prospicite quæso Adm. RR PP. Tranquillos VOS in hac acie cupio esse spectatores, & solis fauoralibus benignæ attentionis Votis iuuari animitus posco.

Non multos perspicax Orbis tam cæca obrutos caligine aduertit tenebriones, qui proportionatam armandis humeris suis debellandisq; hostibus supellectilem non adhibuissent. Ligonem contra Phæbum assumere, aut balistis de cælo Lucinam detrudere velle stultorum conatus est. Speculum obyciat basilisco, & ignaro rerum veritatem opponat, qui triumphare cupit. Margo unguis sufficit contra culicem sed Elephas nec a toto corruit pugno. Vna Pygmæum prosternit globa, Enceladum vix integra inuertit Ethna, Corruit sub cespite pusio, Atlantem nec

totus

totus opprimit Olympus. Verbo loquar ad debellandos Magnos & potentes hostes, magnis armis expeditoq; exercitu, expeditissimo Ductore opus est. Creberrimis, ne dicam quotidianis totus Orbis hoc edidicit & fatetur experientijs, meliorem esse exercitum ceruorum Duce Leone, quam Leonum ceruo ductore. Non suffecerê olim reficiendis Asiatici Xerxeis fluuij copijs, trucidandis pauca Achiuorum agmina suffecêre, quando bono Duce præliares manus cõseruere. Corruit cum millenis Darius cateruis, quando ad magnanimum Alexandri pectus distortas Vires suas allisit. Sanè omnis vis quantumuis maxima, expers boni consilij expers experti Ducis mole ruit sua: exiles è contra manus & copiæ, non exiles sed copiosas ferunt Manubias, si bonis & armis & Antesignano stipatæ. Hostium nostrorum magnitudinem ac multitudinem priusquam in præsentem amussim reducerem, cunctos Arithmeticorum calculos trãscenderem. Non tot hybla frutices, non tot pontus arenas, quot Ecclesia Sancta, quot cum illa & sacra Religio Nostra numerat & experitur hostes.

Taceo Othomanicæ frequentiæ potentiã, relinquo gẽtilium infideliumq; multitudinem ac ferociam; prætermitto Schismaticorum copiam, & pertinaciam, non commemoro quorumuis acatholicorum abundantiam & tumiditatẽ, ipsius demum Erebi malesanam cohortẽ nec nomino: quãto enim hi toti Ecclesiæ communiores sunt, tanto leuiores. Surgit palma aduersus onera: Ecclesia aduersus horum omniũ insultus, exultans erigitur, triumphat, eleuatur. Corruent prius inferi portæ, quam aduersus eam præualebunt. Prius iuga Montis aper, fluuiosq; piscis amare cessabit imò prius opaca tellus situ suo exturbabit cælos, quam præfati hostes Ecclesiæ DEI nocebunt. Communes nobis cum Sancta Ecclesia isti hostes, eo minus graues, quò communioribus armis perimuntur. Sed enim nondum omnes hostium euasimus turmas, nondum prorsus in tuto constitim? aruo. Est nobis & alius hostis, sunt & alia sacro Ordini Nostro stratagemmata.

En magno aceruo, multisq; phalãgibus stipata irruit scelestorum

lestorum inuidia, quæ sacrum Diui Patris nostri institutum si non tollere, saltem deprimere molitur. En initat acerba perfidorum persecutio, quæ virentem Religionis nostræ florem auernalibus concoquere satagit Aquilonibus. En succedit tumida maleuolorũ pertinacia, quæ in scirpo integritatis nostræ nodum procaciter quærens, etiam Pelasgas artes, Trapesitarumq; æmulatur versutiam, modo nostram contaminet innocentiam. Potens nimirũ potens hostis est, tantoq; terribilior quanto vicinior. Huic tanto tam atroci tamq; Vehementi hosti, quis exercitus, quænam arma, quinam Ductor resistat & sufficiat, non immaturæ opus deliberationis. Exercitus quidem modicam repræsentando phalangem, nos numerus sumus, & bella hæc sacra peragere nati atq; parati. Nos quos communia Venerabilium in Christo Patrum Fratrumq; nostrorum vota ad præsentem aciem destinauêre ac direxêre, irruentibus hisce periculis, hisce bellis obuiam venire, manus conserere & resistere opus est. Nolite timere paruulus grex, & congregata in Domino Cohors. Certamina VESTRA tantò gloriosiora, tanto magis triumphalia sunt futura, quanto flagrantioribus Amabilium & Venerabilium in Christo Fratrum nostrorum, eiaculatorijs super ipsa sydera leuantur & promouentur Votis. Arma nostra præ oculis, præ manibus sunt, imò intra nos sunt. Igneus Diui Patris Nostri gladius noster est, ad nosq; planè hæreditariâ successione deuolutus. Thaumaturga illius Virtus non priùs hostes cõuincere, & Orbem miraculis implere cessabit, quam nouissimum DEI hostem Antichristum debellabit.

Ferrea durities aciesq; eius ipsis noricis ensibus acutior, etiam Gordijs pertinacis malitiæ nodis obstricta corda discindere, ludi loco habet. Flamma illius magnoq; impetu rutilans ignis, quem frigidissimum Dauidem non accendet? Cælo quondam ablatum ignem, in terrasq; demissum, non remissis Luit pœnis Prometheus: Diuinissimus Patriarcha noster non fabulosum sed verum ignem, fauentiori supremi Numinis calculo, palam de cælo tulit non abstulit vt corda Vniuersorum ad feruenter pro Diuinis aris

zelandum

zelandum & exardeſcendum ſuccendat. Ignem venit mittere & quid vult niſi vt ardeat? Ardet, ardet non fatuus hîc ſed ſacer ignis, & toto mundo in dies magis magisq; dilatatur. Sit quantumuis ignauiſsimus, ſit ſub frigidiſsimo polo, ſub ipſoq; arcturo enatus ac educatus Therſites, ſit ipſâ ſalamandrâ gelidioris conſcientiæ, ac ne vnâ quidem ſacræ fidei ſcintillâ calefactus mox Zelus eius altioribus quam Nabuchodonoſori fornax pro DEI honore ignibus rutilabit, dummodo ſaltem non refragariam bona voluntatis ſuæ cariem ad ſcintillantem Diui noſtri eiusq; Clientum zelum ăc feruorē ad moueat. Quidquid Sanctitatis Europa, quidquid innocentiæ Africa, quidquid Luminis habet America, totum Aſiæ totū Carmelo totum Eliæ adſcriberedebet. Carmelus prima eſt, quæ anachoretica Vitæ puritate illuxit. In reliquis quantumuis laudatiſsimis eremitorijs ac Conuentibus quidquid ſplendet, ab hac face lucem ſumpſiſse non diffitetur. Helias teſte Chryſologo factus eſt Magiſterium Vitæ, ſanctitatis forma, norma iuſtitiæ, Virginitatis ſpeculū, pudicitiæ titulus caſtitatis exemplum. Helias promeruiſſe videtur vt pretioſiſsima illa concha Sacratiſsimam contegēs Margaretam Domus inquam Nazarethana Sanctiſsimam DEI Matrem ſuſtinens tertio non niſi Lapide a Carmelo diſtaret. Non decebat quippe alibi Matrem puritatis cōmorari, quā vbi multis ante haclustris, puriſsimo omni pietate feruentis Eliæ igne, cuncta impura exuſta fuerê. Miſit renouata hæc Sacratiſsima Virgo complacentiæ ſuæ in Diuo Patre noſtro, Filijsq; ac Clientibus eius dogmata, quādo illud quod pretioſiſsimum in ſuo reperit gazophilacio non alteri quam noſtro Ordini fouendum commiſit. Scapulare intelligo, & Sabbathinum dicere volo priuilegium, cuius rei pretium non commendare tantum ſed digne cōmemorare; nec mea lingua præſumit, nec vna dies comprehendere finit. Toto æuo narrabitur decus, quo nos Patrêq; noſtrum Sacratiſsima Maria cohoneſtauit. Iactet Helizeus transfuſam in ſe cum pallio Eliæ potentiam; patret admirāda in Aſiatico Orbe prodigia: Maiora nobis Diuus Pater reliquit & conſeruauit, quando nos Sacro Scapularis pallio per

 Matrem

Matrem hanc Beatiſsimam contegi impetrauit. Frigere aut lacerum præſeferre Irum nemo poteſt, quisquis hoc ſacro Veſtimento redimitur. Ardentibus purgatorij flammis vix attingitur, qui dignè hoc paludamēto inuoluitur. Suſtinuit olim pro libitu & immiſit imbrem Elias cum voluit: extraordinarium hoc priuilegiū eius iam in ordinariam Supremi Numinis gratiam gratioſiſsime degenerauit, quando omnib9 Scapulari palliatis, primo poſt Obitū Sabbatho à Vehementibus purgatorij ignibus æternum refrigerium conceſsit. Mare hoc gratiarum Diuiniſsima MARIA totam ſe in amabiles Eliæ Sacræq; Familiæ eius Manus tradidiſſe viſa eſt, quando tantam cæleſtium chariſmatum copiam tātam ineffabilium donorum hyperbolen indulſit. Cōquieſcentem in paradiſo Eliam, rurſumq; ad compeſcendas immundi mundi inſolentias venturum non diffiterer, niſi etiam hactenus toto Orbe graſsantem admirarer. Nulla res ferè quantumuis curioſiſsima quæuis Optica cum hominibus inueniet plagam, quæ amabilibus ignei huius gladij non eſſet ſauciata plagis. Plagiarium hunc Prophetā non abs re dixerim, ſed eum, qui etiam nullius frugis de humana ſtirpe ſtolones aufert ac ſurripit, vt in parádiſo æternæ Voluptatis pullulaturos transplātet. O quot nefandæ ſtirpes inordinatis innumerabilium delictorū ardoribus exſiccatæ, ac omni Virtutum ſucco deſtitutæ, iam iam æterno gehennæ igni comburendæ parabantur, niſi ſurculi earum hoc gratioſo gladio exciſi debitum eis melioris Vitæ vigorem imbibere permiſsiſſent. Stertebant ſexcenti inq; deteſtando Vitiorum cæno, inſtar porcorum volutabantur donec hac Sacra Heliani Zeli flamma adurerentur. Cymmerijs perfidiæ ac gentiliſmi tenebris caligabant, priuſquam lumine eius illuſtrarentur, clarisq; Sanctæ Fidei dogmatis, ope ac exemplo Eliæ illuminarētur. Mirabilis ſane gladius in quo plura cælitum dona quam in Amaltheæ cornu fauentes ſuperi recondiderê. Pandoram iactent fabulæ, multiplicib9 ſingulorum Ditum Muneribus ditatam, ego in vno ignito Diui Eliæ gladio totum reperio, totum veneror, quidquid feliciſsimum Cælites terricolis impertire poſsint. Durus

es & ob-

es & obdurata conſcientia tua nullis remediorum baliſtis expugnari poteſt, Eliana vitæ conſtantia, Eliano exemplo demollieris. Mollis es, & cunctis infernalium tempeſtatū ac ſuggeſtionum procellis arundineam inflectis ſubdisq; ceruicem, huius gladij chalybe, huius nempe Diui immutabili Sanctitatis normâ exemplariq; tuas teneritudines poteris conſolidare, in ſtabilemq; Metamorphoſim transformare. Frigidus es & nefandus tua obſedit pectora torpor, vix vno anhelabis ſuſpirio, & iam te hic ignitus, ut vis calefaciet Enſis. Exardeſcis & ad vana quæque flagrantibus æſtuas cōcupiſcentijs, ignem igne extinguere non raro ipſa motus vehementia ſolet. Tantis præditum enſem attributis, intra VOS habetis Admodū Reuerendi Patres. Nihil ſuum negauit VOBIS Pater, qui ſe ipſum VOBIS tradidit. Heroicum hoc inſtrumentum omnes quidem attingimus; at Vibrandum illi ſoli relinquitur qui ſacro huius Diui inſtituto, gregi inquam Carmelitico præficitur. Hoſtem in acie arma præ manibus conſpicimus Vnicum reſtat, Dux nobis & Author opus eſt, qui ſacrum hunc Gladium igne honoris Diuini flagrantem eâ quâ decet agilitate atq; arte geſtiat geratque.

Grauis nimium grauis hic enſis eſt, ſed quem igneus cādidæ charitatis ardor ſubleuare non deſinit. Ferrum baiulandū eſt, ſed quod pretioſiſsimo omnis obriſi Valori præſtat. Ignem attrectare oportet, ſed qui non abſq; continuo miraculo, ſpecialiq; Diuinæ gratiæ influxu ſolos procaces exurit; reliquis Diuinos acceptantibus Fauonios, Etheſiarū loco eſt. Onus Offiiciumq; Ducis ac Prælati noſtri dicere volo, quod graue licet nimisq; laborioſū ſit, attamen ſurſum tendere charitatis flamma alleuiatur. *Magna quidem ſublimitas.* (ut Ambroſianæ Sapientiæ fluentum indicat) magnam debet habere cautelam, honor grandis grandiori debet ſollicitudine circumuallari, & cui plus creditur, plus ab eo exigitur; ſed ſtrenuum laborem copioſa merces repēdit, & debitam ſolertiam æterna penſat corona. Opus naturæ (ſi Sacrati Nominis Virum percipimus) non dignitatem, laborem non delicias, non creſcere faſtigio

 ſed humi-

ſed humilitate decreſcere, ut fiat ſeruus & Miniſter hominũ propter Chriſtum, ut intermiſſa Rachelis decorâ facie, intret ad Liam oculis lippam de monte cum Moyſe deſcendat ad campos, id eſt de otio contemplationis ad Laborem actionis. Tanta debet eſſe conuerſatio eius & eruditio, ut omnes motus & greſsus, & vniuerſa eius opera notabilia ſint. Veritatem mente concipiat, & eam toto habitu reſonet & ornatu, ut quidquid agit quidquid loquitur, doctrina ſit populorũ. *Talis* (monẽte Diuo Gregorio) debet eſſe diſpẽſatio regiminis, ut is qui præeſt, eâ ſe circa ſubditos curâ moderetur, quaten9 arridens timeri debeat & iratus amari, ut eum nec nimia Lætitia vilem reddat, aut immoderata ſeueritas odioſum. Miſcenda eſt lenitas ſeueritati, faciendo quoddam ex vtroq; temperamentum, ut neq; multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neq; nimia benignitate ſoluantur. Subtiliſsima ars viuendi eſt culmen tenere, gloriã reprimere, eſſe quidem in potentia, ſed potentem ſe eſſe neſcire: ad largienda dona potentem ſe agnoſcere, ad repetenda noxia, omne quod potenter valet ignorare. Quiſquis populi ſpeculator ponitur in alto debet ſtare per vitam, ut poſsit prodeſſe per prouidentiam. Male ſe rectum putet, qui regulam ſummæ rectitudinis ignorat; Non debet hominum Ducatũ ſuſcipere, qui neſcit Homines bene Viuendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quæ & reſecare debuit, ipſe committat. Locus regiminis dum regendus offertur, in ſe prius neceſſe eſt, ut quiſq; diſcutiat, ſi loco vita congruit, ſi ab onere actio diſſentiat, ne iuſtus omnium rector, eo poſt in tribulatione preces non audiat, quo ipſa quoque eius de quo tribulatio oritur, exordia honoris ignorat. Illi præ cæteris DEVM ſublimem videre merentur, qui fidelibus gregibus præeſſe ſoliciti ſunt, & dum ipſi pie ſuper gregem vigilant, Diuina ſuper eos gratia largius coruſcat. Vſus rectæ conuerſationis eſt, ut præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicit nec obedientiam ſubiectis imperet, quam Prælatis non nouit exhibere. Qui adhuc impugnantiũ certamina vitiorum per conſenſum delectationis tolerant, aliorum curam ſuſcipere non præſumant, quum verò tentationum bella

num bella iam ſubegerint, quoniam apud ſe de intimâ tranquillitate ſecuri ſunt, cuſtodiā ſortiantur animarum. Pēſandum valde eſt ad culmen regiminis quiſq; qualiter veniat, atq; ad hoc rite perueniens qualiter viuat, & benè viuēs qualiter doceat, & recte docens infirmitatem ſuam quotidie cognoſcat, ne aut humilitas acceſſum fugiat, aut peruentioni vita contradicat, aut vitam doctrina deſtituat, aut doctrinam præſumptio extollat. Virtutibus pollens coactus ad regimē veniat, Virtutibus vacuus nec coactus accedat. Tāto enim debet populi actionem actio tranſcendere Præſulis, quanto diſtare ſolet à grege vita Paſtoris: Miſiſti manum ad aratrum (moneo cum mellifluo Authore) opus eſt fortitudinis & conſtantiæ: Speculator factus es, opus eſt prudentiæ: Debitor es ſapientibus & inſipientibus, opus eſt Iuſtitiæ: prædicare debes, opus eſt temperantiæ. In alto poſito non altum ſapere difficile eſt, & omnino inuſitatum, ſed quanto inuſitatius tanto glorioſius. Si rebus raritas pretium facit, nil in Eccleſia pretioſius, Nihil optabilius bono Paſtore. Multo conſilio (clamat Chryſologus) & prudentiâ opus eſt Paſtori, & mille ut dicitur oculis ad ſpeculandam vndiq; hebetndinem earum quas gubernat animarum. *Noui* (inquit idem) non paucos idoneos ſuimet fuiſſe rectores, multum in abſtinentiâ & ieiunijs laborantes, quibus quàm diu licuit eſſe priuatos, & nihil aliud curare, quàm propria, & DEO placebant, & in dies non modica incrementa capiebant; at vbi in populo prodierūt, & multorum imperitias emendare neceſſe fuit, aliqui inter exordia tantum ſuſtinere pondus non potuerunt officij; qui verò tolerare coacti ſunt, perdentes conſtantiam & ſeueritatem priorem, & ſibi intulerunt magna diſpendia, & nihil alijs profuerunt. Quanto quisque in ſuperiori conſtitutus eſt loco, tanto (aurea Iſidori refero Verba) in maiori verſatur periculo: & quanto ſplendoris honore celſior quiſq; eſt, tanto ſi delinquat peccator maior eſt. Tantum tam graue, tam atrox Prælati officium ſuſtinere quis non abhorreat? tantum Ducatus gladium baiulare ac moderari quis non recuſet? ſed macte animo Viri Religioſisſimi. Si deſiint vi-

sint vires tamen est laudanda voluntas. Si desit sufficiens baiulandi huius gladij potentia suppleat industria. Qui Episcopatum *desiderat* (teste gentium Doctore) bonum opus *desiderat* qui prælaturam, DEI honorem aucturus suscipit, opus tota æternitate pensandum suscipit. Abusus honoris non honos timendus est, secus enim qui Virtutibus pollens gregem DEI renuit pascere, summum Pastorem arguitur non amare. Attolite iam Adm: RR: Patres ardentia cælum versus Vota; exprimite feruentia ad superos suspiria; clasicum hosti animitùs cuncti buccinate Ducem militiæ cælitùs destinatum exposcite. Hostem præ oculis, arma præ manibus conspicitis. Cateruas composuimus, ad arma parati sumus, Dux nobis tantum & Author opus est. Vtinã licitum esset diuturniora sub eo, sub quo hactenus Duce, nostram continuare militiam, vtinam infracta eius vigilantia, amplius nostros dignetur moderari genios? Feliciores Fabij hactenus sub Fabio feliciter militauimus & Patrem potius Filj colebamus, quam milites Ducem.

Sed tandem cum tempus adest equũm spumantia soluere colla, cum tempus adest diuturno labore fessos eius humeris prægrauem deponere Olympum, quis nobis tribuet? ut tanto Atlanti felix succedat Aiax? quis tribuet? ut tãto Miltiadi similem fas sit reperire Themistoclem? quis tribuet? ut huic Herculi supparẽ inuestigemus Theseum? Tribuet ille, qui cuncta tribuere potest, supremus bonorum largitor DEVS.

Illi illi solum ocyus nostrorum immolemus hecatomben votorum, illum flagrantibus solicitemus desiderijs, illi ardentia pectora deuoueamus, & procul dubio fiet ut ignitus hic gerendæ Prælaturæ gladius ijs obtingat manibus, quæ acceptabilem DEO honorem augere, hosti cladem parare, Orthodoxi solatium prouidere atq; demum Sacræ Religioni desiderabiles manubias poterunt proferre.

D I X I.